



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Censuris, In Qua Sex Disputationibus De Poenis Ecclesiasticis, deque  
Irregularitate fusè tractatur, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

2. Quos effectus habeat cessatio à diuinis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76667)

interdicti iniungitur, ut si ea bona immobilia auctoritate Apostolica contingerit alienari, pretium eorumdem eodem modo deponatur in bona immobilia, cum eiusdem oneris repetitione conuertendum. Quod ob eandem rationem dispositum est.

Deinde iniungit sub eadem poena interdicti secularibus Clericis, & regularibus sub poena priuationis vocis actiua, & passiva, priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda; ve si forte onere Missarum celebrandarum detinentur, auferant ab Ecclesiis capsulam cum inscriptione pro Missis celebrandis. Ne ea occasione onere Missarum grauentur, cui nequeunt commode tempore satisfacere contra voluntatem, & intentionem elemosynas tribuentium, & Missas postulantium; hac enim parte nihil amplius praecipitur nisi quod iure naturae cauetur, iure namque naturae verum est, ne quis Missas dicendas in longum tempus differat contra voluntatem, & intentionem eorum qui stipem pro illis dicendis concesserunt. Quare si breui tempore receptis, & recipiendis satisfieri potest, non est opus capsulam tollere, & a recipiendis elemosynis Missarum abstinere.

Alia plura adducit Bonac. dicto 1.2. disp. 4. q. 2. punct. 11. à sacra congregatione Cardinalium decreta circa Missas, & earum elemosynas, quae iuris, & rationi consentanea sunt, & obseruari conuenit. *Primo* namque refert prohibitum esse à sacra Congregatione, ne Episcopi, aut Generales Religionum reducant onera Missarum post Concil. Trident. imposita, aut in limine beneficii, nisi forte ipse testator hanc facultatem Episcopo, aut religionis Superiori concesserit. Neque obest quod legatum sit ita tenue, ut nullus velit Missarum oneri satisfacere, idcirco expedit fieri reductionem, quia haec non negatur, sed cauetur ne ab alio, quam à Pontifice fiat, quam gratis, ab his expensis praestabit. *Secundo* refert Bonac. prohibitum esse, ne quis plures accipiat elemosynas (intelligitur integras) pro eodem sacrificio, reuocaturque omnia privilegia quibuscunque locis, vel personis concessa, quibus concedebatur, ut certarum Missarum, vel anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, vel orationibus satisficeret pluribus oneribus Missarum in futurum suscipiendis. Etenim cum iure naturali nullus possit pro vno sacrificio nisi vnum congruum stipendium accipere, iniustitiam committit intendens pluribus stipendiis vnicuique sacrificio satisfacere. Quod si aliquando stipendium minus congruo datum sit, & recipiens illo contentus fuit, nequit aliunde compensationem accipere, quia iam cessit iuri quod habebat, ut sibi congruum stipendium concederetur. Reuocatio verò priuilegiorum conuenientissima fuit, ne concedentes elemosynam sua intentione defraudentur, neque alij ab his elemosynis concedendis, & capellaniarum fundatione retrahantur. *Tertio* refert prohibitum esse sacerdoti accipienti certam elemosynam pro Missis dicendis alteri sacerdoti eas Missas celebrandas committere, minori stipendio extenso, quia nulla videtur congrua ratio ob quam possit partem stipendij sibi concessi retinere, cum ex voluntate donantis concedatur ei quatenus est Missas celebraturus, & non aliter. Ex quo decreto non impediuntur custodes Ecclesiarum ex elemosynis pro Missis dicendis aliquam partem sibi retinere pro labore impenso in harum elemosynarum collectione, altarisque obsequio, nempe cera, vino, & alijs, dummodò congruum stipendium sacerdoti celebraturus concedatur, quia his oneribus sacrificia postulantibus satisfacere tenentur, siquidem irrationabiliter vellent sibi gratis ea obsequia praestari.

Ad extremum alicui non videbitur improbable haec sacrae Congregationis decreta esse rationi, & aequitati conformia sunt, vim legis saltem extra Italiam non habere, quia illis deficit requisita publicatio, & communitatis acceptatio, & iurisdictionis à Pontifice in totam Ecclesiam concessio, uti indicat Bonac. d. punct. 11. in fine. Quod an verum sit, alijs iudicandum remitto.

## PUNCTVM IX.

### De cessatione Diuinis.

#### §. I.

#### Quid sit, & quocumque cessatio?

1. Explicetur cessationis definitio.
2. Qualiter ab interdicto differat.
3. Duplex est cessatio.

**A**nnexa est cessatio à diuinis interdicto, eique ex parte similis. Dicitur autem cessatio ab effectu quem habet, quia ex vi illius diuinæ laudes in aliquo loco cessant, idcirco

que Doctores cessationem definiunt esse prohibitionem Ecclesiasticam Clericis impositam abstinendi ab officijs diuinis in aliquo loco. Haec prohibitio est ob culpam grauissimam alicuius apponatur, non est tamen censura, quia non magis nocentes, quam innocentes afficit, sed est quaedam diuinorum officiorum negatio, quam Ecclesia clericis sub precepto iniungit in signum doloris, & tristitiae conceptae ob grauissimam iniuriam sibi, seu honori diuino illatam, & in illius reparationem, ut hac ratione cogatur delinquentis ab iniuria desistere, & satisfactionem exhibere. Sicuti colligitur ex Clement. 1. d. e. sentent. excommunicat. sub finem, & tradunt communiter Doctores, Nauarr. cap. 27. num. 188. Sayus lib. 1. cap. 17. num. 2. Suar. disp. 38. sect. 1. num. 13. Coninch. disp. 17. dub. 1. in princ. Filiucius tract. 18. c. 7. q. 1. Bonac. t. 1. disp. 6. p. 1. Paul. Layman. lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. c. 6. num. 1. Amla 6. p. de censuris disp. 1. dub. 1.

Ex his inferitur plurimum cessationem ab interdicto differre, nam interdictum etiam locale semper afficit aliquam personam determinatam, nempe illum cuius causa interdictum latum est, cum tamen cessatio à diuinis nullam personam determinatam afficiat. Sed omnes aequè à diuinis illo loco vbi fertur cessatio arceantur. Secundo ob violationem cessationis per exercitium Ordinis nulla est irregularitas imposita, quae tamen violationi interdicti apponitur est. Tertio cessatio non est censura, sed interdictum. Cap. quare in verbis significat. Quarto priuilegia tempore interdicti concessa ad cessationem à diuinis trahenda non sunt. Quinto cessatio à diuinis nunquam imponitur ipso iure, bene tamen interdictum. Denique effectus cessationis, & interdicti aliquo ex parte differunt, sicuti haec omnia in sequentibus videbimus. Ergo cessatio à diuinis ab interdicto differt.

Duplex est cessatio, alia generalis, alia specialis. Generalis est quae respicit prouinciam, ciuitatem, cultum, villam &c. Specialis est quae determinato loco apponitur est scilicet Ecclesiae, sacramento, oratorio &c. Sicuti de interdicto diximus.

#### §. II.

#### Quos effectus habeat cessatio à diuinis?

1. Triplex est effectus.
2. Plures censent non solum à Pontifice, sed à quolibet inferiori cessationem imponi posse partialem.
3. Verius est oppositum.
4. Primus effectus cessationis, qui est priuatio diuinorum officiorum tam Clericis, quam laicos comprehendit.
5. Aliqui censent priuilegium concessum in cap. alma mater de sentent. excommunicat. in 6. extendi ad cessationem.
6. Oppositum verius est.
7. Priuilegium concessum pro illis quatuor septuagintis velis in dicto cap. alma ad cessationem extenditur specialiter a consuetudine, tamen si spectatur iuris rigore contrarium esse dicendum.
8. Ex vi vltimus privilegij concessi audiendi diuina, vel celebrandi tempore interdicti, non possunt tempore cessationis celebrari, vel audiri diuina.
9. Tempore cessationis licitum est celebrare in qualibet Ecclesia semel in hebdomada pro reuocanda Eucharistia.
10. Hora canonica in particulari recitari possunt tempore cessationis.
11. Tempore cessationis ea Sacramenta ministrari possunt, quae tempore interdicti.
12. Cessatio per se non videtur priuare Ecclesiastica sepultura.

**T**riplex effectus communiter cessationi attribuitur, nempe priuatio diuinorum officiorum, Sacramentorum & Ecclesiastica sepultura.

Sed an hi effectus cuiuslibet cessationi annexi sunt; Variant Doctores. Nam Suar. disp. 39. sect. 2. num. 15. & sect. 4. num. 4. Filiucius tract. 18. capite 9. num. 172. & 187. censent non solum à summo Pontifice (de quo non est dubium) sed à quolibet Iudice cessationem imponi posse partialem, hoc est quoad vnicuique tantum effectum, & non quoad omnes, ut quoad priuationem diuinorum officiorum, & non quoad priuationem Sacramentorum, quia haec potestas nulli videretur restricta.

Ceterum longè verius est nullam aliam praeter Pontificem cessationis effectus limitare posse; quia hi effectus annexi sunt cessationi ex iure communi statuto in cap. non est 11. de sponsalibus ibi: Nulla officia diuina celebrari permittentur. Quod ius mutare nemo potest. Sicut ergo nullus potest excommunicationis effectus restringere; quia iure communi sunt statuti, sic neque cessationis effectus restringere valeat. Neque placeat responsum Suar. dicta sect. 4. num. 4. Pontificem loqui ibi de speciali cessatione, nam Doctores omnes inde sumunt argumentum ad affirmandum cessationem quamlibet prohibere

prohibere omnia officia diuina, neque habere locum indulgentiam factam in *cap. alma mater*.

Præterea si cessatio partialis, & quoad particulares effectus & non quoad omnes imponi possit, esse multiplex cessatio, sicut est multiplex interdictum, quam tamen multipliciter nullo modo iura agnoscunt. Non igitur potest alius ad Pontificem effectus cessationis restringere, vt bene notauit Henric. lib. 13. cap. 32. num. 1. & cap. 54. num. 2. Sayrus lib. 5. thesauri. c. 13. n. 7. Aulæ 6. p. disp. 3. du. 4. Bonac. 1. disp. 6. pun. 1. m. 8. & alij.

Primus ergo effectus cessationis est prohibitio diuinorum officiorum, vt deciditur dicto *cap. non est vobis de sponsalibus*. Quæ prohibitio est directè clericos afficiat, laicos etiam comprehendit. Ex eo namque quod in aliquo loco interdicta cessatio sit à diuinis, omnes tam clerici, quam laici à diuinis arcentur: clerici ne ea celebrent, laici & clerici ne illorum celebrationi, si aliquando contigerit, assistant. Quod manifestè conuincitur ex *cap. quod in re, de penitent. & remissionib. & cap. permissimus de sentent. excommunic. xbi semel in hebdomada pro renouanda Eucharistia permissum est celebrari, cui celebrationi nec clerici, nec laici assistere possunt, sed solum sacerdos cum suo ministro. Atque ita notauit Suar. disp. 39. sect. 2. n. 14. Filiuc. tract. 18. c. 7. m. 166. Bonac. 1. de cess. iud. disp. 6. pun. 3. num. 4.*

Sed dubium est, an privilegium concessum in *cap. alma mater. de sentent. excommunicat. in 6.* vt possint Clerici officia diuina in loco interdicto celebrare submissa voce, ianuis clausis, & campanis non pulsatis, extendatur ad cessationem à diuinis? Affirmant Archidiacon. *cap. si canonici statim in prin. de officio ordinari. in 6.* Paludan. in 4. dist. 18. q. 8. ar. 3. prin. cap. num. 38. Ioann. de Fruburgo *sum. confessor. lib. 3. tit. 3. q. 2. 1.* Nauarr. *cap. 17. num. 189.* Villadiego *de irregularitat. vbi de irregularitat. ob violationem interdicti, dictum est, & cap. de interdicto. num. 1. 5. vers. prædicta tamen.* Deucuntur, quia cessatio hæc spectato iure antiquo sub interdicto conuincitur. Deinde rationes, quibus motus fuit Pontifex ad concedendum, vt tempore interdicti generalis diuina celebrarentur, illa moderatione scilicet ne fidelium deuotio tepesceret, ne hæreses pullularent æquè in cessatione à diuinis procedunt. Ergo privilegium interdicto concessum ad cessationem extendi debet.

Nihilominus verior, & communior est sententia, negans concessio nem d. *cap. alma* ad cessationem etiam generalem extendi posse. Primum, quia cessatio à diuinis sub interdicto non comprehenditur, sed ab ipso distinguitur, vt colligitur ex *cap. dilectis filiis de appellacionibus & cap. in fratribus. §. ceterum de officio ordinari. & cap. si canonici. Cap. quantum de officio ordinari. lib. 6. & Clement. 1. de sentent. excommunicat.* Secundo si liceret Canonici Horas canonicas dicere tempore cessationis generalis, sicut licet tempore interdicti, possent, & deberent eas Horas recitare, nec priuari possent distributionibus, sed necessarii eas lucrarentur. Quo posito non esset obligatus eas illis soluere qui causam cessationi dedit. Sicuti de facto obligatur in *cap. si canonici §. si autem de officio ordinari. in 6.* Tertio non est eadem ratio in cessatione, ac in interdicto, vt privilegium concessum pro interdicto ad cessationem extendatur. Nam cessatio à diuinis rarissima, & ob vrgentissimam causam imponitur, & tentatis aliis pluribus remedijs, & semper imponitur ob contumaciam alicuius infringendam. Secus contingit in interdicto. Quarto si limitationes, quæ in interdicto licent, liceret in cessatione, cessatio non esset grauamen speciale supra interdictum, quod est contra Ecclesiam vltimæ Aque ita docet Medina *sum. lib. 1. c. 11. §. 14.* Couar. *cap. alma 2. p. §. 4. n. 7.* Henric. lib. 13. cap. 41. num. 2. Gutierrez. *lib. 1. canon. qq. cap. 10. num. 6.* Sanchez. *lib. 7. de matr. disp. 8. num. 14.* Sayr. *libro 5. thesauri. cap. 19. num. 2.* Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 7.* Aulæ 6. par. *disp. 1. dub. 3. vers. secunda opinio.* Coninch. *disp. 17. dub. 7. n. 8.* Paul. Laym. *lib. 1. sum. tract. 1. p. 4. c. 6. n. 2.* Bonac. 1. disp. 6. pun. 1. circa finem. Gasp. Hurtado *de cessat. diff. 1. m. 8.*

Ex hac doctrina videtur inferri iuris rigore spectato privilegium concessum in *cap. alma* pro illis festiuitatibus Natalis, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis non esse ad cessationem à diuinis extendendum. Vt tradit Bonac. Layman. & Suar. *loc. alleg.* Verum spectatâ æquitate, & consuetudine hanc extensionem faciendam esse docuerunt Couarru. *cap. alma 2. p. §. 5. num. 5.* Doctores Salmanticenses, anno 1584. teste Henric. lib. 13. cap. 53. num. 3. Gutierrez. *lib. 1. canon. qq. cap. 10. in fine.* Sayr. *lib. 5. cap. 19. num. 6.* Sanchez. *lib. 7. disp. 8. num. 18.* Aulæ 6. par. *disp. 1. dub. 6. conclus. 1.* Paul. Layman. *dicto cap. 6. num. 3.* inclinatur Suar. *dicta disp. 39. sect. 2. num. 23.* & colligitur ex d. *cap. alma*. Nam ibi conceduntur illis diebus celebrari officia diuina non in vi permissionis, sed constitutionis, & ordinationis, inquit enim textus: In illis festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ campanæ pulsentur, & ianuis aperit, & alta voce diuina officia solemniter celebrentur. Ergo aduersus hanc constitutionem non potest cessatio, quæ ad inferiori

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars VI.

Pontificis indicta est vim habere. Et idem tradit Sayrus, & Henric. de festis, in quibus ob privilegia Religiosis concessa generalia interdicta suspenduntur.

Secundò inferitur ex vi illius privilegij concessi audiendi diuina, vel celebrandi tempore interdicti non posse privilegium ea audiri, vel celebrare tempore cessationis; quia vt probatum est, cessatio sub interdicto non comprehenditur, sed ab eo distinguitur. Sicuti notauit Nauarr. *cap. 27. numero 189.* Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 11.* Sayrus *lib. 5. cap. 19. num. 13.* Bonac. *disp. 6. pun. 1. in fine.* Quod maximè procedit in privilegio singularibus personis concessio, quod strictè interpretandum est. Verum si de privilegio communitati alicui concessio, vel personis ratione dignitatis loquamur, vt est privilegium concessum Episcopis audiendi, vel celebrandi tempore interdicti in *cap. quoad nonnullos, de privilegijs, & cap. vlt. eodem tit. in 6.* non videtur improbabile ad cessationem extendi quia hoc privilegium late interpretandum est, maximè cum iure antiquo parum cessatio ab interdicto distinguebatur. Sicuti plures referens docuit Couarru. *cap. alma 2. p. §. 4. num. 7. vers. hinc patet.* Henric. *lib. 13. cap. 53. num. 3.* & in comment. *lit. P.* & refert ita sensisse quosdam Iurisperitos Salmanticæ consultos Sayrus *lib. 5. cap. 19. num. 5.* Aulæ 6. par. *disp. 1. dub. 5. conclus. 2.* limitans casu quo privilegium concessum fuerit ante constitutionem *cap. alma mater*. Illud est certum in eo casu Missam, & officia diuina celebranda secreto esse, & seruata moderatione dicti *cap. alma*, vt notatur Henric. & Aulæ *suprà*.

In omni tamen sententia fatendum est tempore cessationis licitum esse celebrari in qualibet Ecclesia semel in hebdomada pro renouanda Eucharistia, ne species sacramentales putrefiant, nec sine iuramento decedant, quæ sunt rationes ob quas in speciali interdicto hoc permissum est iuxta *cap. permissimus de sentent. excom.* Debet tamen vnus solus minister vel ad summum duo adesse iuxta Decretum Soteri Pontificis in *hoc quoque de consecr. dist. 1.* Sicuti docuerunt Medina *sum. lib. 1. c. 11. §. 14.* Henric. cum Doctoribus Salmanticensibus, *lib. 13. c. 53. n. 2.* Nauarr. *cap. 27. n. 173.* Sayrus *lib. 5. c. 19. n. 3.* Aulæ 6. par. *disp. 1. dub. 4. conclus. 2.* Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 19.* Bonac. 1. disp. 6. pun. 3. num. 3. Quinimo addit Suar. *num. 20.* quolibet die fieri posse factum, si necesse sit conferri viaticum, neque adfit Eucharistia. Cauendum tamen est, ne hoc fiat in fraudem cessationis, id è quæ in Missa quæ semel in hebdomada permittitur consecranda sunt omnes formulae, quæ pro tota hebdomada necessaria reputantur.

De recitatione Horarum in particulari scilicet bini, vel terni variant Doctores, an liceat tempore cessationis? Negant Doctores Salmanticenses, teste Sayro *lib. 5. cap. 19. num. 4.* & probari videtur ex *cap. permissimus de sentent. excommunicat. ibi: Nulla diuina officia permittuntur aliquatenus celebrari.* Item ex *cap. quod in re de penitent. & remissionib.* videtur concessa facultas recitandi tempore interdicti bini, vel terni, quæ facultas non est ad cessationem trahenda. Sed contrarium longè probabilius est, vt docuit Sayrus *dicto num. 4.* Henric. *lib. 13. cap. 53. num. 2.* Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 14.* Bonac. 1. disp. 6. punct. 3. num. 3. Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. cap. 6. num. 2.* quia hæc recitatio non est publica, & sollemnis, sed priuata, quæ nec interdicto, nec cessatione tollitur. Item extra Ecclesiam hæc recitatio licet, vt docuit Henric. *suprà.* & Aulæ *lib. 4.* Ergo etiam in Ecclesia. Neque obstat Textus in dicto *cap. dimittimus*, quia intelligendus est de permissione officij publici. Textus verò in *cap. quod in re* non facultatem concedit, sed quod aliàs licitum erat, declarat, vt bene notauit Layman. *d. cap. 6. num. 2.* De pulsatione campanarum idem est dicendum, ac de interdicto diximus nullo modo licere in ordine ad diuina officia pulsari; secus verò ad alia quæ officia diuina non sunt, nisi consuetudo in contrarium obferretur ab Ecclesia matrice. Sicuti notauit Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 17.*

Secundus effectus cessationis est priuatio sacramentorum, vt constat ex dicto *cap. non est vobis de sponsalibus*. Difficultas autem est quæ sacramenta ministrari, & recipi liceant? Et dicendum videtur, est spectato iuris rigore solus Baptismus, & penitentia morientibus, & Viaticum administrari posse, vt colligitur ex dicto *cap. non est vobis*, ibi: *Nulla diuina officia præter Baptisum paruulorum, & Penitentiam morientium adiuncto etiam Viatico celebrantur.* At ex benignitate Ecclesiæ, & grauisimorum Doctorum autoritate ea sacramenta ministrari, & recipi possunt quæ tempore interdicti licent, non quia cessatio sub interdicto comprehendatur; sed quia Ecclesia videtur eam consuetudinem approbasse, ne suos fideles tanto bono priuet, vt tradunt ex communi Couarru. in *cap. alma 2. par. §. 4. num. 7. vers. vltimum tamen sit.* Henric. *lib. 13. cap. 53. num. 1.* & 4. Sayrus *lib. 5. thesauri. cap. 19. num. 7.* Bonac. *tom. 1. disp. 6. pun. 3. num. 7.* Layman. *lib. 1. tr. 5. par. 4. cap. 6. num. 3.* Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 12.* Aulæ 6. par. *disp. 1. dub. 6.* & alij. Quocirca tempore cessationis licet tam paruulis, quam adultis etiam sanis conferre sacramentum Baptismi, quia hoc sacramentum est necessitatis ob vitæ periculum, & vocatur sacramentum paruulorum etiam si adultis

R. detur

detur, quia de iure, & per se, in pueritia illis erat tribuendum. Confirmatio etiam concedi potest; quia est quedam Baptismi perfectio: sicuti tradunt Sayrus, Henric, Bonac. Suar. Layman. & alij *locis allegatis*. Penitentia omnibus moribus concedenda est propter eius necessitatem, ut habetur in *suprad. cap. non est vobis*. An vero sanis sit ministranda? non est ita certum. Probabile est extendi ex benigna Ecclesie interpretatione, nam cum difficile sit aduatum contritione iustificari, non est credendum voluisse piam matrem Ecclesiam suos fideles hoc tam saluatum remedio, & ad iustificationem necessariam priuare. Sicuti docet Couarruu. *dist. 2. p. 8. num. 7. vers. vbi cumque*. Henric lib. 13. cap. 53. num. 4. Sayrus cap. 19. num. 8. Bonac. *p. 3. num. 5. Coninch. disp. 17. dub. 7. num. 82. Suar. Auila, Layman. locis citatis*. Deinde Matrimonium absque solemnitate nuptiali contrahi potest, nam esto sacramentum sit, quia tamen fundatur in humano contractu ex vi cessationis, sicut neque ex interdicto prohibetur, ut docet Sayrus libro 1. capite 19. numero 12. Henriquez cap. 53. numero 4. Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 27*. Quapropter sacramentum Ordinis, Eucharistia sanis, & extrema Unctio infirmis tempore cessationis, sicuti tempore interdicti denegantur, vt aduertunt Doctores relati. Omnia tamen sacramenta que eo tempore ministrari licent administranda sunt cum suo ritu, & solemnitate debita. Sicuti notant Sayrus. Suar. Bonac. Layman. & alij *locis allegatis*. Vnde licitum est hebdomada sancta, si cessatio perseveret consecrare Chistma, & benedicere oleum; quia hanc necessaria sunt pro ministracione solemnium Baptismi, & Confirmacionis. Sicuti aduertunt Henric. lib. 13. cap. 53. n. 4. Nauar. cap. 27. num. 178. Sayr. lib. 5. cap. 19. num. 7. Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 8. & 22. Bonac. disp. 5. p. 3. num. 5. & seqq.*

Tertius effectus cessationis enumerari solet presertim Ecclesiasticę sepulture. Et quidem si cessatio interdictum supponat, vt ferè semper contingit, non est dubium ratione interdicti hanc secum ferre priuationem. Verum si cessatio per se sumatur, valde probabile cenio hunc effectum non habere, quia sepultura Ecclesiastica, vt superior dixi sub officio diuini non comprehenditur: ac cessationi solum diuinorum priuatio, vt effectus annectitur ex *cap. non est vobis de Sponsalibus*, neque vllibi cautum est hanc sepulture priuationem illi conuenire. Non igitur asserenda est, ideoque possunt spectato iuris rigore nõ solum Clerici (de quibus ferè omnes Doctores conueniunt) sed etiam laici tempore cessationis emeterio, vel Ecclesia sepeliri abique diuinorum officiorum solemnitate. Vt tradit Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 34. Coninch. disp. 17. dub. 7. n. 84. Bonac. t. 2. disp. 6. p. 1. n. 8. Faul. Layman. lib. 5. tract. 5. p. 4. cap. 6. n. 3. vers. denique.*

§. III.

De causis cessationis.

- 1 Qui possint cessationem indicere & quod sit eius subiectum, & causa finalis.
- 2 Causa materialis ob quam cessatio imponitur debet esse grauiissima.
- 3 Inuitida est cessatio non seruatis conditionibus prescriptis in cap. 1. de sentent. excomm. in 6.
- 4 Postea cessatione si intra mensem partes non se composuerint Romam mittendum est.
- 5 Alie conditiones seruanda sunt pro cessatione posita à Capitulo.
- 6 Prædictas conditiones non tenetur Capitulum obseruare tempore Sedis vacantis, si per Vicarium à se electum cessationem imponat.
- 7 Referantur poene Capitulo impositæ non seruanti prædictas conditiones.
- 8 Quod dictum est de cessatione imposita à Capitulo, dicendum est de cessatione imposita ab Episcopo, alioque Prelato.
- 9 Causam cessationi præbens ad qua obligetur.

Causam materialem, seu subiectum cessationis constat esse locum, seu personas in ordine ad locum, quibus prohibent diuina ibidem celebrare. Efficiens causa est qui cessationem indicit, qui necessariò habere debet iurisdictionem in foro externo, ea autem gaudens cessationem indicere potest. Sicuti excommunicare, suspendere, & interdicere. Cui enim potestas ferendi has censuras competit, competit etiam potestas ferendi cessationem. Quapropter ex proprio officio Episcopis, aliisque iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, & Capitulo Sede vacante hæc potestas inest. Vt colligitur ex *cap. si canonici de officio ordinari. lib. 6. Et ibi Glossa verbo cessare*. Capitulo vero Sede non vacante hanc neque cessationem indicare, nisi ex privilegio, aut consuetudine recepta: vt colligitur ex *dicto cap. si canonici*, & tunc non nisi ex consensu Episcopi, & conuocatis omnibus capitularibus etiam absentibus, sicuti fit ad ele-

ctionem, vt colligitur ex *cap. irrefragabili de officio ordinarij, & cap. si canonici. Cap. quammis eodem tit. in 6. Et notant Sotus in 4. d. 22. q. 3. art. 2. conclus. 3. Couarruu. in cap. ama. 2. §. 2. numero 6. Henric. lib. 13. cap. 53. num. 1. Sayr. lib. 5. cap. 18. num. 5. Finalis causa consequenda per cessationem est rebelles, & inobedientes coercere, & à delicto parato remouere. Causa verbò formalis, seu modus ferendi cessationem, & causa propter quam ferenda est præscribitur in *cap. irrefragabili*, & *causam de officio ordinarij, & cap. si canonici. Cap. quammis eodem tit. in 6. Qui Textus est loquantur de cessatione imposita à Capitulo; Doctores referendi ad quancunque cessationem extendunt.**

Causa materialis, seu delictum ad cuius emendationem ferenda est cessatio, debet esse eius qualitaris, vt adqueque dantis ex cessatione prouenientibus, que cum grauiissima sit, grauiissimum delictum exigunt. Et præterea debet esse delictum notorium, & manifestum notoritate facti, vt eius scandalo possit cessatio occurrere. Neque in contrarium stare potest consuetudo vtopè irrationalis, & in grauum Ecclesie cedens. Sic dicit Syluest. *verbo iustitiam, n. 1. Sotus in 4. d. 22. q. 3. art. 2. conclus. 3. Henric. lib. 13. c. 53. num. 1. Sayr. lib. 5. thesauri, cap. 18. num. 12. Suar. disp. 39. sect. 2. n. 4. & 7. Auila 6. p. disp. 2. dub. 2. condit. 1. & seqq. Coninch. d. 17. dub. 7. n. 87. Bonac. t. 1. d. 6. de cess. p. 1. m. 1. Galpar. Hurtado de cess. difficult. 3. n. 59. & colligitur ex *cap. irrefragabili de officio ordinarij. Et cap. si canonici. Cap. quammis, eodem tit. in 6.* Insuper hæc causa propterquam imponitur exprimi debet instrumento publico per Tabellionem, seu alius parentibus literis sigillo authentico munitis, que debent tradi ei contra quem cessatio indicitur. Sicuti cautur in *suprad. cap. si canonici*. Præterea debet prius delinquens moueri, an satisfacionem, & emendationem præstare velit. Non enim cessatio que grauiissima pena est, iudici potest nisi pro contumacia vt manifestè colligitur ex *d. cap. quammis*.*

Hæc conditiones ferè sunt eiusdem rationis, ac illæ que præscribuntur in *cap. 1. de sentent. excommunicat. in 6.* pro qualibet censura ferenda. An vero aliqua ex his delictibus nulla sit cessatio; variant Doctores. Nam Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 8. & 11.* esto ex stimer in qualibet cessatione hæc conditiones obseruandas esse, ac affirmat id eorum delictum cessationem non fore irritam, sed inultam tantum. Solum de monitione asserit esse necessariam, eam scilicet que sufficeret ad notitiam habendam de cessatione imponenda, quæque ad valorem cuiuscunque censure requisita foret; non autem quod fiat tali tempore, & modo, quo præscribitur in *dicto cap. quammis*. Et reddit rationem, quia in *hoc cap. & cap. si canonici* non redditur nulla sententia, & alioquin ex iure ipso notitiam prædictæ conditiones pro valore cessationis non requiruntur. Vt Coninch. *disp. 17. dub. 7. num. 30.*

Ceterum verius censo ex defectu cuiuscunque conditionis ex superioribus enumeratis inualidam esse cessationem huc impositam à Capitulo siue à Prelato. Quod docet Aristotelis Sayrus lib. 5. thesauri, cap. 18. num. 16. Stephan. Danila 6. p. de censur. disp. 2. dub. 2. §. circa iunctio. 8. secundo notandum: & de cessationibus à Capitulo impositis asserit Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 13. Coninch. dicto dub. 7. num. 30.* præstatis conditionibus necessariis esse. Ducor, quia Doctores plerumque conueniunt prædictas conditiones communes esse omnibus cessationibus siue impositis à Capitulo, siue à Prelato. At in *cap. quammis de officio ordinarij. lib. 6. in fine*, dicitur parte cessante, & supra scripta (scilicet que in illo cap. conuenerunt, & que lata erant in *cap. si canonici eodem tit. & lib. & in cap. irrefragabili de officio ordinarij*, quæque in *dicto cap. quammis initio* renouantur) non seruante non tenetur cessatio. Sicuti igitur non est seruanda cessatio illis conditionibus in eius impositione non seruatis. Ergo illæ conditiones sunt pro valo re cessationis requisitæ.

Deinde posita cessatione si intra mensem partes non se composuerint debet tam imponens cessationem, quam is ob cuius culpam imponitur Romam petere per se, vel per procuratorem cum actis ad negotium spectantibus, vt Romana Sedes remedium prouideat, ne Ecclesia diu à diuini cesset in graue fidelium detrimentum. Sicuti habetur in *dicto cap. quammis*, & notant ibi Doctores. Interim vero si pars contumax pœniterit; poterit, & debet cessationem indicens eam tollere, quia ex accessu ad Romanam curiam iurisdictionem non amittit: accessus namque ille solus fuit ibi discutiar quid sit agendum casu quo partes non se composuerint. At facta compositione cessat occasio expectandi Romani Pontificis responsum, vt notant Henric. lib. 13. cap. 53. num. 2. Sayrus lib. 5. thesauri, cap. 18. in fine. Suar. *disp. 39. sect. 2. num. 12. Auila 6. p. disp. 2. dub. 2. §. sed circa. Bonac. t. 1. disp. 6. p. 1. m. 2. num. 4.* aduertit Sotum *dist. 22. q. 1. art. 2. & aliterum disp. 2. de cess. c. 6. vers. tertio*. Quod si imponens cessationem noluerit post mensem Romam mittere, eo ipso cessat cessatio, vt habetur in *dicto cap. quammis in fine*. Oportet autem, (vt bene aduertit Suarez *disp. 39. sect. 2. num. 12. 13.*) cui